

1170-

28

b

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
QVA PROBLEMA
AN VMBILICI DELIGATIO
IN NVPER NATIS ABSO-
LVTE NECESSARIA
SIT
IN PARTEM NEGATIVAM
RESOLVITVR
QVAM
P R A E S I D E
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE
PRO GRADV DOCTORIS
a. d. Martii MDCCXXXIII.
PUBLICE DEFENDET
IOANNES CAROLVS DEHMEL
SAGANO - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

DIESER TATIO NAVIGAVITIS MENGIA

PROPEREMA

AN AMBILIC CHIGATO
IN NUPFER NAVIS ABSO
LATR VEGCHSSARIA

IN PÄRTM NFGATIA
ESCOLATIA

D IOVINE HENRICO SCHULZE
MEDICUS ET BOTANISTUS ET ANATOMATIUS ET
PHYSICUS ET PHYSIOLOGUS ET PHARMACOPOLIS

VOCABULUM CESSARE MAGNA QVOSORVM ET
REBUS SCIENTIA DEDICARVM PER.

PRO CIVITATE DOCTORIS

JOANNIE CROLOVE DEMET

TATIO CHRISTI HILIGERI AGED abet

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
MEDICA
QVA
PROBLEMA
AN VMBILICI DELIGATIO
IN NVPER NATIS ABSOLVTE
NECESSARIA
SIT
IN PARTEM NEGATIVAM RESOLVITVR

PROOEMIVM.



Imis forte curiosa, aut magis
tamen curiosa, quam vtilis, vi-
debitur speculatio, quando ad
mundi incunabula retro spe-
ctantes de primo, quod EVA
celebrauit, puerperio cogitatio-
nem instituimus. Sola mulierum in toto orbe,
vna cum vnico vitæ socio, ADAMO degebat,
remque adgrediebatur non solum numquam ten-
tata, sed cuius indolem ac decursum a nemine

A 2

pō-

poterat audiuisse. Quas amicas habere potuit,
quæ eam suffulcirent manu, erigerent alloquio,
iuuarent consilio? Quæ obstetrix laboranti auxi-
liares manus attulit, quæ nascentem filium exce-
pit, puluinari imposuit, secundinam extraxit?
vmbilicum filo, vnde accepto? aut quo artem
edocente? deligauit, quis forficem, cultrumue
præbuit? Quis linteal dedit aut latam fasciam ab-
domini puerperæ constringendo, quis calidam
lauando puerulo, quibus vasis & a quo conse-
ctis, temperauit? quis recens nato cunas, quis
mollem lectulum ipsi cum matre, procurauit, stra-
uit, calefecit? quis iuicula matri curiose decocta
procurauit, ne vegetabili nutrimento, vel omni-
no crudo, flatulentia ingenerarentur, quibus non
solum mater torqueretur, sed propagatis illis vna
cum lacte ad tenerum pusionem, ille etiam ma-
le mularetur. Quis vela dedit lecto obducen-
da, ne oculi, clara luce perstricti, læderentur? quis
ædes & habitationem, quæ ventos, nebulas nim-
bos, pluuiam arcerent, quarum vis maxima ho-
die habetur ad puerperæ valetudinem irreparabi-
li damno afficiendam? Quis denique ab his læsis
vel matri vel filio adhibendas medicinas edocuit,
quis

quis præparauit? Taceo plura, quæ hodie puerperæ, nisi infelicissimæ, deesse non posse existimantur, & vel ab imperiosa consuetudine præscribuntur, vel in medicorum etiam libris longo ordine recensentur. Talia autem non primæ solum puerperæ defuisse omnia palam est: sed per multa sæcula deinceps defuisse etiam reliquis negari nullo pacto potest. Ex quo consequitur naturam omnino pauca requirere, sed sum tyrannum, superstitionem, præiudicia, multa admodum requirere, neque vñquam satiari posse. Atque tantum abest ut talium non tam curiosa, quam cum serio studio iustaue cura instituta, meditatio inutilis sit, ut maxime valere possit ad reuocandum genus humanum a stolidis & insanis studiis, quibus semet ipsos complures pessundant, dum felices se putant in talibus, quæ ipsa per se a felicitate longe absunt, & ab illa longius auocant. Certe si homines secundum naturam viuere discerent, medicis paucis indigent, quorum nunc benignissimæ & munificissimæ nutriculæ sunt intemperantia, & mille erroribus implicatum sanitati quam amplissime consulendi studium. Sed de aliis, quibus EVA puer-

A 3

pera

pera carere potuit, alii dispiciant mihi nunc illud solum curae est, an Caino aut Habeli recens natus vmbilicum ligauerit & præciderit? Quum vero illam quæstionem, quantum de facto quæritur, nullo pacto liceat decidere: ut ilius quærimus de iure, id est necessitate huius deligationis, quam hodie plerique ita indubitatam esse existimant, vt homicidii reos agant quoscunque aut quascunque, qui effecerunt aut permisérunt, vt illa vel omittetur, vel male, iuxta artis regulas, perageretur. Licebit autem ita in hac quæstione versari, vt argumenta illorum, qui absolutam eius necessitatem requirunt, ad examen reuocemus, eaque, quæ pro neganda illa faciunt, simul expendamus. Cui idem, quod nobis, visum haud fuerit, nobis tamen non imputare poterunt temeritatem in humani generis perniciem cessuram: quippe in ipso hoc limine protestantibus, non esse nobis animum dissuadendi innoxiam præcautionem, quam absolute necessariam esse negamus & pernegamus.

§. I.

§. I.

Quartitur an funiculi vmbilicalis deligatio in re-
cens natis tam absolutæ sit necessitatis, vt vita
nati ex hoc funiculo pendeat? Huic quæstio-
ni vt satis fiat, seorsim consideranda sunt, quæ sint in vmbili-
cali funiculo; ex quibus constet partibus, & quem
vsum præstent foetui, quod fatum in iam nato habe-
ant singulæ eius partes? Vmbilicalis funiculus est du-
ctus membranous, digiti crassitiem large æquans, ab fœ-
tus abdome ad placentam uterinam, trium vel quatu-
or fere spithamarum longitudine, extensus, intus inclu-
dens arterias binas vmbilicales dictas, & vnam venam,
vmbilicalis etiam nomine insignitam, vt & cellulis suis
plurimis multam glutinosam humiditatem includit,
quam ad amnion, cui continua est membrana hæc, de-
ponere videtur. Arteriæ binæ in hoc funiculo tortu-
ose sibi & venæ circumductæ, in abdome foetus,
a fine aortæ, vel ex iliacis internis oriundæ, ab illo
loco pergunt sub peritonæo, vel in limbo productionis
cuiusdam a peritonæo, proxime ad pelvem prætereuntes
istam regionem, ubi in viris vasa spermatica, in feminis
ligamentum uteri rotundum, trahiunt; deinde ad il-
lum locum progrediuntur, ubi in iam natis vmbilicus
enascitur, ibique ad cutim, quodam quasi geniculo aut
nodo, committuntur cum sui reliqua parte extra abdo-
men vsque ad placentam exporrecta. Per illas sanguis
a fœtu ad placentam dimittitur: cui vero id usui fiat,
a nostro scopo longius esset remotum hic edifferere.
Vena, ex ipsis ultimis ramificationibus arteriosis refle-
xis orta, multis inter se venulis coeuntibus in unum
truncum, oritur, & sanguinem e placenta reducit, quem
per

per tortuosum iter ferens ad corporis quasi portam, ibi ad cutim similiter geniculum quoddam habet, quo cum parte sui reliqua committitur, & ne libera pendeat, intra limbum productionis a peritonæo, tamquam in vagina quadam, ad hepar producitur, quod per singularem quandam fissuram subit, & in sinum venæ portehiat, ita quidem ut e regione oppositum habeat canalem venosum, foetui peculiarem, cuius ope ad venam cauam & cor proxima via se exonerat.

§. II.

Quod fatum sit horum vasorum in iam natis, et si nuper plenius exposuimus, paucis debet & ~~as~~ ~~er~~ ~~ovulæ~~ hic repeti. Maturo iam foetu e carceribus materni uteri egresso, cum reliquis secundinis, placenta etiam subsequitur, quæ nullius de reliquo est usus. Quare animalia omnia, naturæ quodam instinctu, dentibus suis funiculum, modico a corpore spacio, demordent: inter homines consuetum est vinculum funiculo iniicere certa lege, & iusto spacio deinde iterum relieto, abscondere & remouere. Relicta portio usque ad cutim corporis exarescit, ac sponte decidit: in homine tardius, quia exsiccaturo aeri liber accessus, inunctis pinguibus & linteis obvolutis, prohibetur: in animalibus ceteris, vbi hæ cura deest, citius, ac plerumque post paucas a partu peracto horas. Vero valde simile est interius reflectas, tam arteriæ quam venæ portiones, eodem tempore a nexu cum cuti externa liberari, eoque non parum facere, quod iam natus pusio ad situm sibi antea insuetum, rectum, ipsa fasciarum, quibus involuitur, applicatione deducitur: quod tamen, quo tempore præciso acci-

accidat, dicere non possum: fieri tamen indubium est, quum in animalium ac hominum cadaueribus cum eu-
ra instituta sectiones clarissime docent, tam arterias
quam venas intus retrahi, contrahi, in apice, quo adhæ-
ferant, acuminari, claudi & progressu temporis omnino
aboleri, neutiquam vero in ligamenta mutari.

§. III.

Quæ quum ita sint, vt sunt sine dubio, dispicien-
dum nunc est: cuius rei intuitu aliqua enascatur neces-
sitas hominis vmbilicalem funiculum ligandi, quæ qui-
dem talis sit, vt in ceterorum animalium recens editis
foetibus non obueniat. Hoc enim manifestum est, &
a nemine in dubium reuocatur, quod aliquot millium
millia animalium quotannis nascantur & adolescent,
quorum vmbilicus a nemine deligatur, quibusque nul-
lum a prætermissa hac cura vita periculum aut iactura
enascitur. Si igitur contendimus in homine aliquam
esse absolutam necessitatem, quæ fieri vinculorum ap-
plicationem postulet, in aliqua ex prædictis partibus
vmbilicum contingentibus demonstrari aliquid debet,
quod homo habeat præcipuum, siue prærogatiuam di-
cere siue imperfectionem placeat.

§. III.

Age igitur, ordine singula perlustremus, idque
tanta fide & industria, vt malimus nimis suspicaces vi-
deri, quam aliquid præteruidendo negligentes, aut hy-
potheeos assumptæ studio dissimulantes. Quod ad vmbili-
calis funiculi partes, cetera omnia homini & brutis
similia sunt, nisi quod homini plerumque una tantum
sit vena, brutis plerumque duæ: patet autem illam unam
B tanto

tanto debere esse ampliorem in homine, quantum plus
spacii requirunt due partes, præ vna excipienda. Vi-
detur inde consequi, huius intuitu amplæ venæ maius
homini esse periculum hæmorrhagia, quam brutis re-
cens natis, quoniam duo canales exigui citius angustan-
tur & clauduntur, quam vnum maior. Enimvero ut-
cunque id sit verum, tamen nec tam exiguae & stimari
possunt binæ brutorum venæ, vt non æque facilis hic
esse possit hæmorrhagia, si non æque vehemens: posito
illo, quod non sit aliquid quod eam fieri vetet. Et in
venis quidem per se non est adeo multum, quod metu-
as, quam in illis fiat motus sanguinis ab exterioribus
ad interiora, nullo autem alio magis impellatur ipse san-
guis, quam ea vi, quam subsequens, quippe trudens &
propellens antecedentem, adfert: quare in amputatio-
nibus etiam nemo sollicitus est de venis abscessis ligan-
dis: quod in arteriis utiliter obseruatur. Quum vero
hæc ratio hic cessen: metus hæmorrhagie iam maxi-
mopere imminutus est; quippe nulla euentura est, nisi,
in signi anomalia omnium motuum, sanguis per venas
iter retrogradum capiat.

§. V.

De arteriis vtique maior erit iam metus, ne san-
guis per umbilicales illas extro fluat. Sed par est hic
conditio hominis & bruti. In vtroque binæ arteriæ,
satis magnæ, ad umbilici partem residuam feruntur: in
brutorum foetibus hæmorrhagia non euenit: cur in hu-
manis tantopere extimescitur? quum si necessitas in alteru-
tro maior timenda esset, maior in bruta vtrique cadat,
quæ simulac in lucem edita sunt, pedibus plerumque iam
insiste-

11752

absolute necessario sit?

11

infistunt, sive reliquæ facilitati illam adiiciant, quod sanguis suo pondere etiam ad partes inferiores ruat & impellatur: quum homines recens nati & cunis impositi dorno incumbant, & alcensuro sanguini aliquam difficultatem hoc situ obiiciant. Responderi talia obiici-
entibus id fere solet, diuersam tamen esse hominis &
bruti conditionem. Dum bruta demordendo funem
vmbilicalem diuidunt, dentibus ipsorum vasa ita com-
primuntur, crebrisque impressionibus quasi implican-
tur, vt sanguis penetrare non possit: quum vero in ho-
minibus instrumentum scindens adhibeatur, utique
consequi debere hæmorrhagiam, nisi vinculum aptum
& ex artis obstetriciæ lege nexus impedit. Differre
igitur discissum hominis funiculum, & commorsum il-
lum in brutis, vt differre contusionem & incisionem
vel dissectionem in chirurgia docemur.

§. VI.

Sint hæc vera: nam ipse attendens cani enixa, cum
funiculum admorderet, non festinasse, aut uno istu il-
lum diuisisse, in pluribus ordine catellis probe vidi: si-
ue naturæ instinctu id faceret, sive arteriarum crassi-
ties, & lubricitas totius funiculi, illam diutius in o-
pere occupatam tenuit. Quando vero illud frustulum,
quod reliquerunt, decidit: quod post paucas horas
fieri probe meminisse possum, perit sane omne præsi-
dium, ab his euanidis reliquiis, certa lege commorsis
& implicatis, speratum. Decidit autem iuxta cutim
corporis, æque vt in homine. Quid tunc impedit
porro hæmorrhagiam in brutis? Nimirum idem quod
in homine post casum vmbilicalis funiculi impedire de-
bet:

B 2

bet: iamque compar vtrobique est ratio. Nolo iam disputare quam vere compressoriae isti per morsum inter obtusos dentes, vmbilicalium vasorum diuisioni effe-ctus tantos in arterias tribuere liceat, præsertim tam amplas. Certe nisi alia cauſe subeffent, & si sanguis illo impetu, qui arteriis ordinarius est, illuc ferretur, parum eius obſisteret impetui per morsum inter obtu-los dentes facta earum diuisio. Nam & in grauibus con-tusionibus, vbi membra quasi comminuta funt, satis ſæpe magna fūnt sanguinis proſluvia, si maioriibus et-iam vasis eadem communio ſcuni vulnere accidit.

§. VII.

Hoc præſidio non inulti cupiunt depelli. Rege-runt, illo, quantillum sit, a demorſo funiculo ad casum relicta partis, tempore intericto, arterias ita demor-ſas, & in apice clausas, intra corpus trahi; adeoque ibi deinceps remanere fructum illius artificiosæ demor-ſionis: quemadmodum plerique omnes credunt in ho-mine citra ligaturam relictas arteriarum venarumque partes in apice contrahi ac claudi, lapsoque illo, quod ultra ligaturam erat, reliquum omne intus trahi. Sed rogo illos, qui ita ſibi rem imaginantur, naturam, non dicam penetrare magis, ſed ea, quæ in superficie fiunt, fidelibus ſenſibus obſeruare meminerint: ita conuincentur in lapsa a brutorum corporibus portione vmbili-calí venas eſſe & arterias: in humanis autem funiculis, iam penitus ablatis, non ſolum venam & duas arterias videbunt, ſed & illud, quod natura in formando vmbili-co leges ſibi a vinculo obſetricio præſcribi non pa-tiatur: adeoque nihil remaneat, quod, ſub quantacun-que

que spe, ad genitalium partium magnum emolumen-
tum, tam prouide curauerunt, tamque itolida supersti-
tione, conseruandum.

§. VIII.

Hactenus allata nihil valere ad ostendendum, quod animalibus brutis vlla sit in vmbilicali negotio prærogativa, præ hominum prole, puto satis esse perspicuum. Videamus quid porro proferri in hac causa lo-
leat. Obseruari in multis rebus, quod homo imbe-
cillior & imperfectior nascatur reliquis animalibus,
quum auium pulli, vix ovo egressi, pedibus ad insisten-
dum & ambulandum latis bene vtantur, anates modo
exclusi natent in aquis, agni, vituli, hinnuli equorum
saltem pedibus suis nixi matrum vbera contrectare &
exfugere valeant. DEVM autem naturæ humanae con-
ditorem hæc ita ordinasse, matresque a longioris ge-
stationis onere exoneruisse, quoniam homini rationem de-
dit, qua excogitare posset, quibus opus esset ad con-
ferenda procurandaque omnia, quibus tenerima pro-
les ad subleuandam imbecillitatem primæ ætatis indige-
ret. Hæc ita recte satis dici agnoſco & largior; sed quæ-
nam est inde consequentia ad vmbilici deligationem?
eamque absolute necessariam vni homini?

§. IX.

Certe quum hominum & brutorum fetus in ce-
teris, quæ ad conceptionem, formationem & incre-
mentum successuum pertinent, vt & in nutritionis ne-
gotio, in sanguinis peculiaribus viis, in cordis singu-
lari constitutione, vuniformiter, eodemque tramite, ince-
dant: inque natis eadem, quæ in brutis mutari vide-
mus,

mus, etiam in homine mutentur: nullam video rationem cur circa solum vmbilicum diuersa homini a brutis accident, nullumque verum testimonium, quod aliter euenisce quicquam ostendat. Funiculus vmbilicalis datus est, vt sit communicatio cum placentia uterina: illa humano foetiæ æque necessaria est ac foetiæ quadrupedis: siue humanus foetus nascatur, siue brutorum excludatur, si secundum naturam omnia fiunt, maturitatem suam, cuique speciei debitam, quisque consequutus est: secundina facile ab utero secedit. Si itaque ex parte secundinæ maturitas adest, eadem deesse non potest ex parte connexorum vasorum, quæ propter communicationem cum placentia erat data & facta. Si maturitas hæc aduenit, resoluitur nexus vasorum vmbilicalium cum cute, decidit, quæ extra corpus propendebat, portio; quæ ad interiorem cutim adhaeserat, pariter discedit; intus retrahitur, & successivæ aboletur: & hæc pari modo, pari lege, in hominibus ac brutis fiunt: fiunt ergo pari etiam euentu, si cetera recte habeant. Absit igitur naturam hic accusemus, quod hominem imperfectiorem in lucem protrudat, omnibus reliquis animalibus in hac parte indulgentior.

§. X.

Sed quid verbis opus est, vbi rerum testimonia adsunt. Annon exstant multa litterarum monumentis consignata exempla, quibus edocemur hæmorragias accidisse per vmbilicum vel plane non delegatum, vel vitiose constrictum, quæ vel non animaduersæ vel studiæ

dio neglectæ, lucis vix acceptam vsuram tenellulis eri-
puerunt. De Helena, Constantini forore, Iuliani au-
tem Cæsaris coniuge, auctor est AMMIAN. MAR-
CELLINVS libro XVI. quod cum marem in Gallis genui-
set, infantem hoc perdidit dolo, quod obstetrix, cor-
rupta mercede, mox nato vmbilicum, plus quam con-
uenierat, præciderit. De hæmorrhagia quidem non
constat: & forte totum crimen in odium Constantini
confutum est. Ergo clariora testimonia festabimur.
Fatendum autem, quod pauci admodum casus annota-
ti imueniantur necessariis circumstantiis adiectis satis
pleni, ut iudicium cum certitudine fieri possit. Forte
vix opere pretium iudicatum fuit talia notasse, quum
inter auctores medicos tantum non confessa res sit, vmbi-
licum non deligatum mortem, absoluta quadam ne-
cessitate, accersere: aut quia rarissime visu venit vmbili-
ci deligationem omitti, nisi vbi plures circumstantiae
occurront, quæ iustam infanticidii culposi suspicionem
faciunt: quo casu vera rei gestæ series plerumque stu-
dio celatur, falsa autem & conficta non raro perhiben-
tur. FABRIC. HILDANVS *obs. chirurg. cent. I. LII.* in
genere accusat obstetricum in ligando vmbilico vel im-
peritiam vel negligentiam, qua vel nimis strictam fa-
ciant ligaturam, vt ipsum vinculum vasa nimis cito per-
scindat, (quasi vinculum iusto tempore discindere ea
debeat,) vel nimis laxam, vt sanguis perfluat: atque sic,
incertum vtro modo, feminæ nobilis Coloniensis duos
infantulos viribus exhaustos se meminisse scribit. Vi-
detur fore bonum virum totam illam obseruationem
non

non alia intentione scripsisse, nisi ut occasionem haberet communicandi suum puluerem, vasis abscissis illico inspergendum, qui si vere necessarius esset in hoc negotio, multas nationes diu desisse opus esset, ante quam aloe & sanguis draconis in materie medicæ censum venerunt.

§. XI.

Esto autem accidisse illis infantulis quocunque modo hæmorrhagiam, unde debilitati fuerunt, quis non optabit adiectum notatumque legi hic posse, quali constitutione mater nobilis fuerit, an pleno victu & vino-
lo vel aromatico vsa sanguinem vel nimium, vel nimis fluxilem & expansuum, fœtibus suis elargita fuerit, quali lacte vſi & excepti fuerint recens nati, an clamoribus & ciulatibus humores nimium commouerint suos, vt extra vasa erumperet: quota a partu hora, quo die id factum sit: annon illa, omni sanæ rationi contraria, funiculi vmbilicalis per illita pinguia emolitio even-
tum induixerit, fouverit, auxerit? anno forte medica-
menta, nescio cuius rei causa, teneris vix in lucem e-
ditis ingeri solita, sanguinem commouerint, aut solidorum motum peruerterent: an forte, quia nobili loco
nati, eximio vini lauacro fuerint abluti, an cune & cul-
citrae nimium calorem attulerint, aer ambiens calore ni-
mio feruidus fuerit? Quæ singula ut inter homines acci-
dere posse & solere nec dubitari nec dissimulari potest:
ita medicorum nemo tam erit pertinax, vt non vltro
concessurus sit tanto maiorem exserere in corpuscula
recens natorum vim talia posse, quanto illa magis sunt
tenera & omnino sensibilia.

§. XII.

1176.

absolute necessaria sit?

37

§. XII.

Dispiciendum igitur est de aliis exemplis aliquantulum plus luculentis. Bina leguntur *Miscell. Acad. N. C. Decur. II. Ann. VII. ols. 193.* Scilicet infans, post tractationem ab obstetricie more solito & rite peractam, fasciis atque puluillis inuolutus quieti committebarur. Quum post longiusculum tempus fasciæ resoluerentur, mortuus inueniebatur, quia insperata & nemine opinante, ex corporisculo ipsis sanguis prorupit INTRA ligaturam aliquanto remotorem in vasis umbilicalibus institutam. Quis non videt quam hæc obscura sint. Deligatio more solito rite erat peracta: cadit ergo suspicio tamquam forsan filium adhibitus nimis tenue, & maiori vi adstrictum, membranam obductam vasis, vna cum ipsis, disciderit. Magis etiam hanc cogitationem remouet, dum scribit auctor, intra ligaturam aliquanto remotorem, scilicet a cute abdominis, sanguinem prorupisse. Vnde tandem proruperit nemo intelligendo assequetur. Colligere autem fere cogimur, quod medio spacio inter corpus & ligaturam apertura quædam facta sit; quoniam hoc consectorium inde deducit: *suaderem itaque, ut recens natorum vasa umbilicalia distinctis in locis bis aut ter ligarentur, præcipue etiam prope umbilicum; ne semel solum vasa ista in parte extrema ligata, Rupta FORSAN IN MEDIO postea sanguinem cum vita emittant.* Si ita res accidit, fateor interrarsima, & forte vix vñquam alibi obseruata, referri meretur. Quod vero magis mireris, *idem illud dictum pene accidisse iterum notat, adducens puellam propter causam ante dictum similiter in vita periculo verlatam, sed plane singu-*

Singulare, & fortassis dinino, instinctu matronæ cuiusdam, de vasis umbilicalibus metuentis, erectam.

§. XIII.

Vereor sane ut auctor illius obseruationis suis sensibus ea, quæ ad memoriam posteritatis transmisit, obseruauerit: vix enim temperaturus sibi fuisset, quin saltem in defuncti corpusculo accuratius inquireret in omnibus, vt edoceret nos de omnibus circumstantiis rei tam raræ, tam inauditæ, &, vt antea dixi, meo quidem iudicio, antea nemquam auditæ & annotatae. Sine dubio etiam adiectum optabunt quid pueræ ultimæ acciderit, de qua nihil annotat, quam parentes coactos fuisse noctu accepere sacramentum baptismatis: iucundumque non minus quam vtile lectori foret cognoscere, quid in tam rara & inaudita recens natorum haemorrhagia ad salutem fuerit proficuum: quod non modicarum fuisse oportet virium, quippe vincere debuit vim illam, quæ arteriam in medio suo corpore perfringere, & deinde satis renacem quoque membranam disrumpere valuit, vt effluxiro sanguini via pararetur. Nemo vero vitio mihi vertet, quod opera parco pluribus de his exemplis, multis nominibus utique reprobis, & in hac quæstione nihil probantibus, quin nec illustrantibus sed obscurantibus, disputandi: quare clariora queram.

§. XIV.

Venio ad casum minime dubium, qui in *Actis physico-medicis Acad. N. C. Volum. II. obs. 50. schol.* legitur, & in hunc sensum relatus est. *Obstetrix, nescio quo fato,* ligata.

ligaturam vmbilici facere in puerulo recens nato omnino oblita fuerat; parvulum, linteis atque puluillis probe munitum, adstanti cuidam feminæ tradiderat: hæc illum per dimidiam iam horam in gremio fouerat, quum animaduerteret sanguinem per puluillos penetrare. Religantur omnia, inuenitur infantem, respectu corpusculi sui, ingentem sanguinis copiam profudisse, *& nihilominus neque tunc temporis, neque postea, ullam debilitatem manifestabat.* Fluxit vtique sanguis per vmbilicum non deligatum. Concedo. Sed & mihi concedetur aliquanto tempore post resectum funiculum non fluxisse: quum intelligi non possit, qui factum fuerit vt vel obsterix, vel adstantium aliqua, fluentem sanguinem non animaduerteret, dum recens natus abluebatur, primis vestibus in duebatur, fasciis circumdabatur. Ergo iam aliqua est rescessarum in vmbilicali funiculo arteriarum venæque conditio, diuersa ab aliis arteriis discisis, quæ sanguinem tanta vi, tantoque impetu, illico euumunt & arcuatim impellunt, vt impossibile sit non animaduerti. Si tales arteriæ binæ, solito impetu, per horæ dimidium sanguinem eiecssent, absque dubio actum fuisset de vita non pueruli recens nati, sed prorsus adulati cuiusvis viri. Hic tamen pusio ne debilitatus quidem fuit. Sed debilitas funesta euentura fuisset, nisi, re mature animaduersa, obex fuisset obiectus. Hoc tu supponis quidem, ego nego: idque insuper contendone fluxurum quidem fuisse sanguinem, nisi aliqua, qua cuncte demum causa, fuisset commotus, forte balnei,

C 2

quo

quo ablutus est, nimio calore, vel alia, quæ inteniri potuisset, si mox curiose in singula fuisset inquisitum, quum omnia recenti obuersarentur memoria.

§. XV.

Confident forte rem istiusmodi exempla vbi in fortunio quodam factum est, vt funiculus umbilicalis proxime ad cutim abdominis abrumperetur. Tale legitur modo laudatorum *Actorum phys. med. Vol. I. obs. 207.* Adscribam omnia, quæ ad rem præsentem faciunt: *vñā umbilicalia, nefcio quo fidere infausto, in partu, ab improuida obstetricis minu, in muscularis abdominis rectis abrupta, morti proximum fere per hemorrhagiam exhibuere soatum. Obstertrix infelici adeo euentui medelam allatura, ceræ globulo adaptato, ulteriore haemorrhagiam sistens, felicem vñorum umbilicalium coalitum exspectavit & consequuta fuit.* Non satis clarum est an hic infans morti proximus dicatur fuisse per haemorrhagiam actu consequutam, an extimescendam ex hypothesi recepta: illud omnes facile intelligunt, non oportere vehementer fuisse illam, quam obstertrix globulo ceræ aptata sistere valuit. Magis etiam hunc casum assertionem meam confirmare, quam conuellere, quilibet intelliget, qui considerabit, quid de arteria alia, aut binis aliis ruptis, exspectandum esset. Quamquam enim nec ignoro, nec impugno, illas tandem crispari contrahique: videmus tanien quotidie, quam non audeant chirurgi in amputationibus hunc eventum præstolari, quin omne genus præsidiorum affectant, ligaturas, cauteria actualia, potentialia: quum tam

men

men omni ista cura habita aliquando sanguis summo periculo perrumpat.

§. XVI.

Venio tandem ad aliud abrupti funiculi vmbilicalis luculentum exemplum, quod ex litteris & ore amicissimi & humanissimi viri, D.D. TREW, illustris Reip. Norimbergensis physici excellentissimi, pridem accepi: nunc in laudatissimis *Actis physico-medic. Acad. Nat. Car. Vol. II. obs. L.* publice legitur. In pauca conferam, quæ ibi recognoscere plenius licet. Honesta femina, quum gemellos vtero gereret, opinione citius dolores ad parvum efficaces sentiebat nocturno tempore. Dum ancilla obstetricem laudatumque medicum accersit, ad exitum properat primogenitus, quem sola relicta puerpera manibus excipiens, ob lubricitatem, & in reliqua consternatione, non satis firmiter tenebat, quin fere elapsus esset. Ita non sentiebat ipsa funiculum abruptum esse, iamque natum linteis ac puluinariis mandabat, de se, & de altero, vna cum secundinis relicto, sollicita. Prodiit deinde etiam alter, sequuntur secundinæ. Dimidium horæ satis inter hac effluxerat, dum obstetrix & medicus aduentant. Illa se mox accingit ultimo nato a secundinis liberando, quo facto de primogenito etiam dispicitur. Iam attoniti spectant funiculum abruptum, vt vix vnguem digiti æquaret residuum: magis mirantur, nihil propemodum sanguinis effusum fuisse, oram patius cruento densò obstructam esse. Aegre hærebat, (quod ex litteris suppleo) vinculum, quod obstetrix applicare nitebatur, quippe membranæ solius tenue frustulum su-

pererat: quinto tamen die cicatrix optima succedebat. Vixit hic infans, cum socio eodem partu subsequuto, ultra mensem, deinde vero (quod iterum ex certa scientia suppleo) eadem hebdomade vterque vitam, eodemque morbo, pluribus eiusdem matris liberis funesto, amissit & ad plures abiit.

§. XVII.

In tota hac historia, recentissima, multisque per Norimbergam honestis viris ac matronis notissima, nihil est, quod non insigni plane modo confirmet, haud esse absolute necessariam vasorum umbilici deligationem, & nec haemorrhagiam necessario, nec mortem consequi, vbi illa fuit omessa. Non possum quin commendem notabiles quasdam circumstantias, quarum consideratio ad summam rei utique facere mihi quidem videtur. Tam expeditus successus ipsius exclusionis testatur, fetus omnino ad plenam maturitatem in utero materno peruenisse, unde nec mirum quod funiculus, secessione iam maturus, facile fuit abruptus, quippe solis tantum membranae suae fibris cum cuticula commissus, arteriisque ac vena ad geniculum suum ita iam dispositis, ut maturorum fructuum petioli, qui & ab arbore & a fructu faciliter negotio secedunt. Posita iam & perfecta maturitate, positum est & perfectum haemorrhagiae impedimentum. Gemelli fuerunt, quos mater, corporis, ut memini, admodum mediocris, gestauit ad illam maturitatem. Facile apparet superfluum nutrimentum in istos gemellos non fuisse transmissum, unde nec plethorici nati sunt, & facta illa, quæ casu accidit,

cidit, vmbilicalis funiculi abruptione, nec hæmorrhagia nec hæmorrhagia rudimentum euenit. Quo ipso discimus hæmorrhagiam in natis hominum prolibus non absolute euenire, sed illis forte circumstantiis, ubi nondum perfectissime maturus infans, a matre plethorica & succis abundante ipsem et quoque plethoricus, in lucem editus fuit, hæcque plethora a quacunque demum causa, vel in ipso nato existente, vel extus aduentante, commota & exagitata fuerit.

§. XVIII.

Subiungo alium casum, quem idem laudatus Exc. D.D. TREW iisdem litteris a.d. VIII. Martii clo. cccxxix. scriptis, mecum communicavit; ita autem habet: Nuperrime accedit a.d. XXVII. Febr. satis adhuc frigida tempestate, quippe omnes plateæ niuibus & glacie erant obiectæ, vt impia mater recens natum infantulum, linteis quibusdam & magno puluinari inuolutum, saxo quadrato ad portam orphanotrophei imponeret. Inter horam vespertinam octauam & nonam ciuis quidam illuc veniens audire sibi visus est vocem eius, sed transiit. Domi ipsum hæc res afflxit, quare, visurus quid rei esset, cum vxore sua eo abiuit; vident iacentem, &, vt intro ferretur, efficiunt. Parum absuit quin dimidium horæ inter has moras abeundi redeundique efflueret. Incertum tamen omninoque incognitum est, quanto tempore iam ante expositionem domi iaceruit. Quum religaretur fascis iste, pusio inueniebatur, cui a resciutto vmbilicali funiculo vlnæ quarta pars hærebat, nullo ligamento circumducta: sed nec vllum vel

vel minimum sanguinis effusi vestigium visebatur. Obstetrix accita vmbilicum sine mora ligabat, abuebat, sacroque fonte lauandum tradebat. Eadem nocte mortuus pusio altero die dissecandus tradebatur mihi, (D. D. TREW) qui omni industria vasis sanguiferis attendi, visurus an forte iacturam sanguinis antea fecisset. Sed omnia vasa, usque adeo etiam intestinorum capillaria illa, sanguinem suum ita ostendebant, ut nihil hic appareret, quod non in omnibus iuxta naturam constitutis inueniatur eodem modo. Haec tenus ex litteris amici. Esto iam in hoc pustione frigus vehemens effluxum impediuisse: quod tamen immediate ad corpusculum accedere non potuit, quippe culcitra magna obvolutum: quis tamen non crediderit, illo tempore, quo nascebatur & vmbilicalis funiculus rescindebatur, eum caluisse vel mediocriter, atque ibi debuisse vel aliquid sanguinis effluxisse, donec a frigore demum constringeretur?

§. XIX.

Atque haec iam de vmbilicalis funiculi deligatione, ob metum hæmorrhagiaæ necessaria, fatis videmur disceptasse. Supereft dispicere num qua sit alia causa, ob quam absolute necessariam eam existimant aliqui. Videtur autem esse aliquos, quibus, etiam extra hunc evenitum hæmorrhagia, mortem nati infantis ineuitabilem esse persuasum est, si vmbilici deligatio omittatur. Sic legimus pronunciatum, foetum, quem iuuacula XVIII. annorum, (quam simplicem fuisse ipse ille, qui casum posteritati mandauit, certiores nos reddit) ediderat, quem.

quemque misera mater, torturæ subiecta & innocentiam simplicem monstrans, mortuum fuisse editum comprimita; illum, inquam, obiisse ob vasa vmbilicalia non abscissa & deligata. Quo fundamento nixus aliquis ferre sententiam illam potuit medicus, qua deinde fretus iudex fidiculis carnificis subiecit miseram puerperam? præsertim quum foetum mortuum non secuisset, ut plura colligi signa possent viuusne an mortuus lucem adspexisset? Vere præticum hic est dilemma, quod semper in carnificem concludit. Nam iuxta PAVL. ZACCIAM Quæst. medico-legal. Lib. I. Tit. II. quæst. VII. §. 5. nato debili, qui nec plorat, nec mouetur, nec aliud vitalitatis signum edit, vmbilicus præcidi non debet, adeoque nec ligari, donec aliquid horum appareat: cuius sententiæ auctor est ille, quem legum auctores nec fallere nec falli posse declararunt, HIPPOCRA-TES de superfoerat. §. VII. Iam si nihil horum appareat, sed foetum esse mortuum omnibus signis reliquis, ipsaque exspectationis diuturnitate, comprobatur; obseruatio præcepti Hippocratei in delictum vertitur & homicidii argumentum ponitur: quod idem homicidii causa allegandum erat, si dubia natu vita deligatio & abscissio facta fuisse.

§. XX.

Quæso autem veniamus ad rei præsentis seriam perquisitionem. Ponamus viuacissimo infanti non ligatum, præcimum tamen, aut abruptum fuisse vmbilicum, nulla superueniente hæmorrhagia: quæ dari potest ratio, cur mori ille debeat? & quæ dari, quam non illico

D


Ilico refutent millies millena exempla quotannis natorum & viuentium animalium, quibus umbilicus non fuit ligatus, tamen ablata placenta funiculus diuisus? Si vero aliqua imprudens, aut nihil ad hanc rem necessarium ad manus habens, leipothymia etiam, aut debilitate impedita accersere nihil valens, delegationem ac rescissionem praestare nequeat: an ideo mori natus debet? Evidem a meo animo impetrare non possum, vt id metuam, DEVS auertat ne in re seria adfirmem. Quid enim est quod mortem adferre possit vel debeat? An sanguis ex corpusculo nati erumpet in placentam? sed placenta tunc emerita, vt non matris amplius, sic nec foetus pars est, adeoque vita caret, nec fanguinem amplius transmittet: ne dicam, hoc non futurum nisi rarissime, in corpore plethorico, & plethora quidem per errores dieteticos commota. Sed esto, appellatur pars aliqua sanguinis: illa hic non fecus stagnabit in frigida parte, quam filigata esset. At vero in putredinem abibit, eaque in corpusculum translata illud inficiet. Quomodo autem translata? per venam? inanis metus, a corpore quippe defuncto. Sed corpus totum placentae in putredinem celerrimam mire pronum est. Legi fabulam saepius serio narratam, sed contemnere diu coepi, postquam non semel placentam humanam quatuor vel quinque diebus domi meæ habui, & terribilem illam putredinem non vidi.

§. XXI.

Atque haec sunt qua de quæstione proposita in senten-

tentiam negatiuam dicenda habui. Facile praeuideo non omnibus primo intuitu fese probatura esse , quæ dicta sunt: nam quo semel est imbuta recens feruabit odorem testa diu. Ultra nonum annum pressi meas meditationes, nihilque a tam longo tempore obuenit, quod me contrarii conuinceret. Si cui videbor asseruisse παρεύδοξα, illum rogo ut fundamenta , ex quibus, tamquam conclusiones, dicta omnia fluunt, ad experientia Lydium lapidem semel iterumque exigat. Ea autem reperiet in dissertatione nupera de vasis umbilicalibus natorum & adulorum; quæ si quis fideli obseruatione crebrisque sectionibus destruxa dederit : primus ero, qui idem problema in sententiam affirmatiuam resoluam. Ceterum repeto, quæ dixi & protestatus sum,
 ME NON CONTENDERE UT IN NATIS HOMINVM VMBILI-
 CI DELIGATIO IN POSTERVM OMITTATVR : quippe in-
 noxia præcautio merito retinetur, quin legibus expo-
 scitur, vbi in tanta generis humani a naturæ legibus
 aberratione paucissimæ grauidæ fœtum exquisite sanum
 gestant, paucioresque matres & nutrices inueniuntur,
 quæ non cum exquisitissima nuper natorum cura
 eosdem maxime subinde læ-
 dant.

F I N I S.




Halle, Diss. 1733


ULB Halle
004 928 121

3





B.I.G.



1170-28
DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
QVA
PROBLEMA
AN VMBILICI DELIGATIO
IN NVPER NATIS ABSO-
LVTE NECESSARIA
SIT
IN PARTEM NEGATIVAM
RESOLVITVR
QVAM
PRÆSIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRAE CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE
PRO GRADV DOCTORIS
a. d. Martii MDCCXXXIII.
PVBLICE DEFENDET
IOANNES CAROLVS DEHMEL
SAGANO - SILESIUS.

HALAB MAG DEBVRGICAE
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.